

v.1 Hinc ego quae nubes causae, quis spiritus auras
2 sollicitet, quae vis agitet liquida aequora ponti
3 expediam, et salsae dicam sapor unde lacunae ;
4 qui densas cogat nebulas, densumque relaxet
5 aera, cum laeto descendit plurimus imbri,
6 aut abit in rorem, aut crepitanti grandine tectis
7 dissilit, aut vasto caelum quatit omne fragore ;
8 unde et praecipites liquidum per inane ferantur
9 sive faces, rutilive angues, aut ignea lampas,
10 quique micantve, caduntve corusci e nubibus ignes,
11 aut caelo quae impulsa ruunt Vulcania tela ;
12 seu qui per dirum miseris mortalibus omen
13 spargit sanguineos flammato vertice crines,
14 ille quidem morbosque ferens inopinaque bella ;
15 unde etiam tanto spirent cum murmure venti
16 aera per vacuum, et pelago dominantur aperto,
17 nunc altis in speluncis tellure sub ima
18 inclusi, superas quatiant cum moenibus urbes :
19 atque hinc digrediens fontis, quaeque amne citato
20 flumina diversis erumpunt partibus orbis,
21 undarumque vagos latebroso e pumice ductus,
22 et quae sint liquidis memorabo exordia lymphis.
23 Tu modo, quae digressa polo Sebethida ad undam
24 divertens tacitas inter facunda sorores,
25 Uranie, repetisque iter et tua sidera narras,
26 pande etiam immensas caeli variabilis oras,
27 aeris et motus aperi, dea : sic tibi ripae
28 Clitumni teneras gignant per litora myrtus,
29 et tua perpetuae crescant ad flumina lauri.
30 Incipe ; purpureos florum jam spargit honores
31 en tibi Sebethos, veniunt ad carmina cultae
32 Naiades, dum fontis opes, dum flumina cantas,
33 (gratum opus) inscripto texunt sibi sarta hyacintho.
34 En properant udis fusae per colla capillis,
35 quaeque tibi niveis pingunt redimicula baccis
36 Nereides ; tibi magna Jovis sua regna reclusit
37 et soror et conjux, secretaque certa profundi.
38 Tu vero, regina deum, cui mille ministrae
39 aera per vacuum famulantur, cui pater aether
40 jungitur et sociis implet conceptibus orbem
41 ne desis, coeptisque veni pede, diva, secundo.
42 Nate, vides, age nate, oculis, age, suspice numen
43 et venerare ; vides vultu quae tristis honesto
44 et lento incedit gressu, nec lumina torquet

45 fixa tuens, nec multa loqui, nec garrula curat :
46 haec ratio est, proles magni Jovis ; huic pater uni
47 nosse dedit causas rerum atque aperire latentes,
48 hac duce nubiferas mundi penetrabimus arces.
49 Te colimus, dea, thuricremam tibi ponimus aram ;
50 sparge rosam, da thura, puer ; linguisque favete.
51 Vos quoque felices tumuli manesque parentis,
52 quo duce Romanae statuunt sua signa Camenae
53 Tarpeia pro rupe, canit tuba et aenea Martem,
54 vos manes mihi felices et adeste vocanti :
55 sic vobis ver perpetuum violaeque rosaeque,
56 sic spirent et amoma, fluant Sebethides undae.
57 Principio genus omne hominum, genus omne ferarum,
58 prognatae et silvis volucres, quaeque aequora ponti
59 monstra colunt, quaeque herba solo florente virescit,
60 et quae sullimis crescens subit arbor ad auras
61 quatuor e primis ducunt exordia causis.
62 Hinc etenim proprias sumunt animantia vitas,
63 huc redeunt, quotiens fragiles mors solverit artus.
64 Ipsa aeterna manent elementa, vicesque ministrant,
65 dum sua jura simul cedunt, aut cessa reposcunt,
66 alternosque agitant constanti foedere motus,
67 vertunturque, eademque aut mox diversa resurgunt.
68 Hinc rerum satus aeternus aeternaque origo,
69 aeternam quoniam sortem et data fata repensant.
70 His parent nascentum animae, legesque sequuntur,
71 quas dederint elementa suos retinentia nexus.
72 Ipsa autem caeli motus ac signa tuentur,
73 imperiiisque assunt stellarum, et jussa capessunt.
74 Namque per obliquum mundi invariabilis orbem
75 quinque agitant varios errantia sidera cursus,
76 adversisque rotis subeunt duodena per astra.
77 Praesidet his pater ipse hominum princepsque deorum
78 sol, rerum sator et numerosi temporis auctor,
79 qui caelum et terras radiis cavaque aequora lustrat.
80 Hunc justa comes incedit Latonia luna,
81 Noctis honos, lucisque alienae haud certa ministra ;
82 cujus et imperium late maris aequor, et ipse
83 Oceanus rex undarum, ac Maurisia conjux
84 attoniti venerantur ; et undoso aequore Nereus
85 alternatque sequens fluctus et temperat aestus,
86 dum Triviae instabiles servat per tempora currus ;
87 hinc etiam largo turgent sata semina succo,
88 hinc manat liquidus per venas humor in artus,
89 hinc fluit ac refluit per membra tenerrima sanguis,
90 humidaque infuso lentescunt corpora rore,
91 corporibus quoniam praesit Latonia nostris.
92 Ille et vitales spirat nascentibus auras,
93 atque agit in membris animas, et stillat in artus
94 fomitibus aetherii calefacta per ossa vigorem.
95 Denique sol patrium jus officiumque paternum
96 exercet ; peragit matris Latonia partes,
97 quae bigis invecta vagoque per aethera lapsu
98 discursans, prensat nunc hos, nunc deserit illos,
99 auxilium implorans et opem acceptura deorum,
100 corporibus quam materna pietate refundat.

101 His ducibus parent elementa, haec signa sequuntur.
102 Imprimis aer, multa caligine densus,
103 mane novis radiis et luce rubescit Eoa,
104 cum necdum orta dies et nox sua sidera condit,
105 cum surgit jubare exorto Tithonia conjux ;
106 mox clarum sparsura diem lux suscitatur almus,
107 lux solis comes et conjux et filia solis,
108 qua nil mobilius, qua nil velocius unquam,
109 non levis aligerae mentis perniciosior aura.
110 Quin rapido sub sole liquens rarescit, et ignem
111 concipit, incensumque ab humo rapit usque calorem.
112 Ipse etenim, tenuis penetratu et corpore raro,
113 labentem caelo radium sola ad ultima terrae
114 trajicit ; hic duro frangens umbone resultat,
115 exsiliensque cavo succendit in aere flammam,
116 quoque locus cavus ipse magis, quo densior aer,
117 quo propiore deus prospectat ab aethere terras,
118 hoc magis ignescit flammis et concipit aestum,
119 incandetque aestate, tepet sub Atlantidis ortum,
120 quo nidum in tignis peregrina reponit hirundo.
121 Vos etiam maris undisoni fluitantia monstra,
122 et solem rapidum et latices sentitis amaros,
123 quandoquidem objectas urens sol dum coquit undas
124 et radiis infestat agens Neptunia regna,
125 assidue dulces epulas tenuemque liquorem
126 haurit aquis, succosque rapit populator amicos
127 grata sequens, sensum longe indignatus amarum :
128 hinc salsus sapor atque asper fluit aequore amarorum.
129 Quippe etiam, ut nostro fluitat de corpore sudor,
130 ille quidem dulci e Baccho mellisque liquore
131 exclusus venis ; etenim sitis ipsa calorque
132 levibus indulgent succis et amara recusant.
133 Quin etiam fama est, captum Telluris amore
134 Oceanum tacitos primum occuluisse dolores ;
135 post, ubi concepit flammam, penitusque medullis
136 arsit, et ipsa imis haesere incendia venis,
137 o quotiens primo fixit sua munera posti,
138 pinxit et e vario non mollia limina flore,
139 ac cecinit miseram lacrimosa voce querelam,
140 longaque per vacuas rupit suspiria rimas.
141 Inde, ubi jam longo patientia victa dolore est,
142 multa quoque iratus foribus convicia dixit,
143 crudelem et dominam per verba indigna notavit ;
144 nunc supplex veniam petit et connubia poscit,
145 et thalamum optatum, et socii sua gaudia lecti.
146 At postquam nil dona movent promissave magni
147 dos pelagi, atque preces frustra cessere mariti,
148 non ullae supra spes, tum furiatus et amens
149 perculit adversam nodoso verberare Calpen.
150 Ingemuit, traxitque gravem a radice ruinam
151 mons cavus. Ille imo victor ciet aequora fundo ;
152 agmina densantur campis ; tum rupe soluta
153 irrumpit pelago, et terris insultat apertis.
154 At Tellus tremefacta metu confugit in altos
155 nube cava montes, tutoque in vertice sistit :
156 exanimem excipiunt nymphae refoventque patentem.

157 Ut vires rediere, deosque excivit agrestes,
158 et quae sit dubiis nota est sententia rebus.
159 Continuo e mediis terrae pentralibus actam
160 Alloquitur Saliam, et precibus nova munera jungit.
161 Tum dea conventu in medio dux ipsa repostas
162 exsolvit venas, totoque e viscere terrae
163 eruptat sale saxa super sudantia amaro ;
164 quicquid ubique asprum egeritur, fluitatque malignus
165 aequora per sapor, inficiens undasque deosque,
166 ipse etiam Oceanus retro dare signa coactus.
167 Inde manet sensu sapor aspernandus amaro.
168 Praecipue tamen in gremio telluris amatae
169 exercet sua jura deus, Latonia proles.
170 Semina nam rerum campis obstrusa sub auras
171 evocat, inque nova convertit germina frondes,
172 educit ramis tenuato codice flores ;
173 mox agit in crudos bene olenti cortice fructus,
174 hinc sua jucundo maturat poma sapore,
175 felices laetis segetes inspicat aristis,
176 vestit pampineis Baccheia dona racemis,
177 educit sata, nata fovet, quae fota animantum
178 pabula sint, succisque suis alimenta ministrent.
179 Quin etiam ipsius e venis terraeque cavernis
180 sursum agit eductos alta ad convexa vapores,
181 e quibus aut rores bibula funduntur in herba,
182 aut atrae incumbant nebulae convallibus imis,
183 aut passim caelo fusae sparguntur in agris
184 caeruleae pluviae, aut multo cum verbere grandio
185 personat, aut canis albescunt rura pruinis,
186 aut nivibus summi cinxere cacumina montes.
187 Terra etenim duplicem exhalat saturata vaporem :
188 humidus hic crassoque madens se corpore vix fert,
189 aridus et calido suffimine prosilit alter ;
190 accipit hos late in gremium circumfluus aer.
191 Hunc ipsum triplex regio secat, altera candet
192 ignibus, horrentique gelu riget altera, utrumque
193 prima quidem aestatemque suam sua frigora sentit.
194 Ille igitur per inane vagum sublatus in auras
195 convertit sese insinuans, passimque coactus
196 densatur magis atque magis ; tum nubibus actis
197 frigida per loca sub caeli regione maligna
198 id, quod erat calidum, sensim effluit, et volat alta
199 sub loca, qua positis fervent incendia castris.
200 Ipse autem, cogente gelu, tabescit et inde
201 liquitur, irriguaeque cadunt ex aere guttae.
202 Quin et frigida vis propius cohibente calore
203 colligit in sese, majoraque robora sumit ;
204 cogitur hinc sparsus passim vapor, inde coactus
205 solvitur, et pluvii rumpunt de nubibus imbres.
206 Interdum rapidos amnes est cernere passim
207 diffluere, et totum in pluvias descendere caelum ;
208 tantus in aereo sese globus orbe coegit.
209 Ast ubi defluxit calor omnis et omnia circum
210 horrescunt hieme et solem loca iniqua negabunt,
211 concresecunt gelido nubes e frigore, et una
212 coguntur, motaeque loco atque e pondere pressae

213 descendunt passim tractae caesimque rotatae,
214 ac nivibus juga summa tegunt, et ad ima feruntur
215 albentes, quoniam albescit concretus aquarum
216 humor ; at admoto quamprimum ardore liquescunt
217 stiriaque, glaciesque, solutaque sole pruina,
218 in rivos abeunt fusi de grandine rores.
219 Inque nives transire imbrem atque inolescere tignis
220 edocet et quod zona illas quae torrida nescit,
221 frigida quod canis horret Germania campis.
222 At tenuis vapor ille quidem nec viribus auctus,
223 nec dum summotos habilis contingere montes,
224 ipse die excitus, gelida mox noctis in umbra
225 cogitur, in canas hieme obstringente pruinas ;
226 idem abit in rorem liquidum sitientibus herbis
227 auxilium caelo tepido atque in nocte serena.
228 Quin etiam Calabris in saltibus, ac per opacum
229 labitur ingenti Crathis qua caerulus alveo,
230 quaque etiam Syriis silvae convallibus horrent,
231 felices silvae, quarum de fronde liquescunt
232 divini roris latices, quos sedula passim
233 turba legit gratum auxilium languentibus aegris.
234 Illic aestate in media, sub sole furenti,
235 dum regnat calor et terrae finduntur hiantes,
236 tum tener ille vapor sensim sublatus ab aestu,
237 versatusque die, multoque incoctus ab igni
238 concava per loca et arescentibus undique silvis,
239 ingratum ut sensit frigus sub nocte madenti,
240 cum nullae spirant aerae et silet humidus aer,
241 contrahitur paulatim, et lento humore coactus
242 in guttas abit, et foliis sitientibus haerens
243 lentescit, rursumque diurno a sole recoctus
244 induit et speciem cerae mellisque saporem.
245 Quodque et apes praestant arte ingenitoque favore,
246 hoc medicos natura hominum producit in usus.
247 Tu vero, juvenis tenerorum assertor amorum,
248 mane tuae quiserta paras intexere nymphae,
249 aut Veneri ante aram lectos inspergere flores
250 pratorum decus, hoc precibusque, hoc suscipe votis,
251 Threicio ut Boreas tacitus requiescat in antro :
252 hic misere rorem infestat crudelis et asper,
253 at praedo et facilis et rapta conjuge mitis.
254 Namque per aerias ponti dum praeterit oras
255 vota ferens, vidit procul in convalle remota
256 planitiem viridi late florescere campo.
257 Admonuit locus optatae cum conjuge noctis ;
258 desilit, ac molli lacrimantem amplexus in herba
259 explicuitque sinus munusque implevit amantis.
260 Illa gravis oculos ab humo vix anxia tollens
261 flebat ; eam insolito conjux solatur honore :
262 "His ego pro lacrimis florum gratusque memorque
263 nocturnos spargam rores, ea praemia sunt,
264 debeat hoc raptae pontus memor Orithyiae."
265 Subrisit, tenerumque genis suffudit honorem
266 laeta viri dictis et tanto munere conjux.
267 Ille novam sensit labi per pectora flammam,
268 optatos repetens somnos, mollique quiete

269 leniit accensum complexu conjugis ignem.
270 Scilicet et Boreas calido contrarius Austro
271 occurrit. Calor hinc, rigor inde exsurgit ; et alter,
272 dum tepet ipse, humili demittit ab aere rorem ;
273 ast alter stringit magis ac de frigore siccatur,
274 exsudet ne languentes nova gutta per herbas.
275 Ergo frigida vis ponto dum insultat, et acres
276 conatus contra calor objicit, agminaque extra
277 noxque simul Boreasque instigant, explicat ecce
278 ipse suas calor intus opes, et viribus auctus
279 in stillas tenuem vertit sub mane rigorem.
280 Grandinis hinc quae sit paucis natura docebo.
281 Saepe per aestatem caelo incandente, sed ipso
282 autumno magis, aut illo sub tempore, quo jam
283 laeta parat nidos praenuntia veris hirundo,
284 nunc flavam e culmis late deturbat aristam,
285 nunc laetas nemorum de culmine decutit umbras,
286 nunc stragem molita etiam pastoribus una
287 prosternit validos sub eodem vulnere tauros ;
288 ac primum ut gelido crescunt humore liquentes
289 crystalli, quas post frigentia rupibus antra
290 in densum cogunt guttisque rigentibus anni
291 et longo durant labentia secula cursu,
292 sic rigido compacta gelu per inania grando
293 cogitur, et stricto concrescunt frigore guttae ;
294 pondere mox tractae frangunt se, et ad ima feruntur.
295 Ipsa igitur gravitate sua ac sub mole dehiscens
296 prona cadit, saepe ingenti demissa fragore ;
297 quandoquidem sullime ruens frangitque feritque
298 cum gemitu sese, multumque umbone rotata
299 obtunditque aciem, glomerataque verbere tectis
300 dira sonat ; saepe ipsa levem haud procul acta sororem
301 dat veniens, etenim tacito regione propinqua
302 agmine descendit, tanto sed corpore major
303 et facie horridior, quanto brevior rotatu
304 et spatio propior cadens minus atterit alas.
305 Vere igitur, seu Libra pares cum dividit horas,
306 tum tractu levior feruntur ad alta vapores
307 incensi, ac loca summa petunt, ubi frigida sese
308 vis cohibet, quo non radiorum offensa resultat
309 saeva acies, ubi pigra gelu torpetque rigetque
310 tempestas, ubi frigoribus domus alta reposita est ;
311 huc postquam vapor ascendit calidusque madensque
312 continuo riget attactu regionis iniquae,
313 quoque vapor magis incaluit, postquam ipse refrigit,
314 extinctusque gelu calor aut evasit in auras,
315 hoc magis admissum trahit in praecordia virus.
316 Imber enim multo large decoctus ab igni
317 contrahit et citius glaciem, et mage frigora sentit ;
318 desilit inde vago praeceps per inania lapsu
319 in valles, quamquam juga saepe petit, nec, aprica
320 infestet licet ipse magis loca, frigida nescit.
321 An mage cum paribus calor hinc, hinc se instruit armis
322 frigus, et aequali concursat uterque vigore,
323 ille suis late in campis exsultat, et hostem
324 insequitur ; cogit vires et robora frigus,

325 inque globum sparsos trahit hinc atque inde maniplos,
326 confirmatque aciem, durataque tergora contra
327 objectat ; quantumque calor se tollit in altum,
328 hoc magis aera praeceps delabitur arce
329 duraque frigidaque crepitanti et verbere grando.
330 Cogit opes natura suas et robora victrix
331 ingeminat, quotiens obversis viribus una
332 concurrunt impulsa suo contraria nisu.
333 Ergo, age, neve anni partes, neu quae loca terrae
334 despiciens, varios lunae sic inspice cursus,
335 ut neque Saturni gelidum neglexeris astrum,
336 nec quae stella cadet caelo quaeve exerat ortum.
337 Contemplator item terras sub tempora brumae
338 fervere, et urentem interius cohibere calorem ;
339 quod putei fontesque docent, nam frigora cogunt,
340 ast aperit calor et venas diducit hiantes.
341 Aethiopum manant campis sitientibus imbres,
342 non amnes capiunt ripae, ruit arduus aether
343 in nimbos, et sole tamen Leo fervidus ardet.
344 An non Allobrogum gentes, Rhodaneia pubes,
345 excidium attonita extimuit caelique ruinam,
346 tempore quo sol ipse humeros ac terga Laconum
347 torreat sitiens summo et radiabat Olympo ?
348 Hic e praeruptis movet Alpibus atra procella
349 involvens hiemesque simul tenebrasque polumque ;
350 horrescunt nimbis aerae, nubesque dehiscunt
351 cum tonitru, micat igniferis fulgoribus aether ;
352 intremittit insolito sub verbere concita tellus,
353 ac caelum ruere et terras subsidere certum est.
354 Ecce autem per inane ruens cum turbine vasto
355 volvitur, horrendamque cadens trahit icta ruinam
356 ingentis moles saxi glacieque geluque
357 concreta, ac bis quinque pedes porrecta, et in altum
358 quatuor, at septem protento margine lata,
359 terribilis visu ac dirum mortalibus omen :
360 tantum adeo variat rerum natura situsque.
361 Quid grandes aestate cadunt super aere guttae ?
362 An rarus vapor et stillae paulo ante minutae
363 miscentur, crassus cadit hinc e nubibus imber ;
364 an sparsim subitoque gravi fervore sub altum
365 evehitur, primum ut sensit mala frigora caeli
366 afflatusque gelu, nec densa nube nec ipse
367 densus, humi propior descendit corpore major.
368 Nate, vides spatium immensum tractusque profundos
369 aerae, atque una terras pontumque obeuntes.
370 Rara quidem natura illi ac penetrabilis alte,
371 densatur tamen, et crassum fovet usque vaporem,
372 quemque et aquae, quemque et terrae excrevere frequentem.
373 Aspirant quaecumque etenim, quaecumque vaporant,
374 sufficit haec pontus ponto et circumdata tellus ;
375 cuncta sinu gravido recipit diffusior aera,
376 vertit et humentem in rorem pluviasque nivemque,
377 qui fuerit gelidas humor sublatus ad auras.
378 Halitus ille autem, largo qui percitus igni
379 evolat ac tenuis multum loca frigida tranat,
380 et longe ad sedes victor perlabitur aestus

381 fumidus incoctusque atque arescente fluore ;
382 non nunquam tamen hunc nubes circumvenit atra
383 deprensam, et strictis frigus circumsonat armis.
384 Hic ille inclusus vallo et circum aggere saeptus
385 perquiratque aditum intentans et singula lustrat,
386 et nunc hac aciem ostentat, nunc ingruit illac
387 parte ferox, parte et factis et viribus impar :
388 ast illum densis mucronibus horrida nubes
389 verberat impellitque premens, frustra parantem
390 summotas intrare domos et ad ardua ferri
391 dejecit ipse super impacto umbone. Ibi ictus
392 ingentem effracto sonitum dedit aggere, multusque
393 intonat, et caelum tonitru quatit ; inde coruscus
394 sese agit in flammam et caelo lubricus errat.
395 Interdum tantus fragor ut concurrere montes
396 jam timeas, ut terra tremat caelumque dehiscat ;
397 tum quod erat fractum discussa nube, repente
398 impulsus ruit, atque obliquo tramite praecipit
399 it flamma rutilante, ingenti et verbere summos
400 aut petit incassum montes, aut aurea divum
401 templa ferit, dirum trepidis mortalibus omen.
402 Interdum levis ipse levem flammamque sonumque
403 aut sonitum sine luce dedit, sine verbere flammam ;
404 interdum erumpit crepitu sine, sed tamen actus
405 adversam in nubem validos hinc perculit ictus,
406 unde tremunt nigri postes et limina caeli.
407 Nec vero prior excusso de verbere flamma
408 emicat, aut ipso sonitus fit tardior ictu,
409 serior ad nostras quamvis eat impetus aures.
410 Ipse vides pastorem alto de colle securi
411 sternentem quercum cuneisque in frusta secantem,
412 ipse quidem jactatam alte post terga securim
413 ante vides, mox ingenti convulsa fragore
414 vox sonat et ruptae luctantur in auribus aurae ;
415 non aliter, cum excussa polo flagrante ruina
416 horrendum tonat, ipsa suo prius acta tumultu
417 concurrat nimbo acies frangitque feritque
418 impellens, hinc fulmineus succenditur ignis
419 collisus, tandem ille fragor ruit et ruit una
420 in pluviam et largos conversus Jupiter imbres.
421 Vulcanum fama est, caelo cum pulsus ab alto,
422 sub terris sine honore diu sine munere claudum
423 vixisse, et Sicula exilium traxisse sub Aetna,
424 solantem casus noto genitricis amore ;
425 quem tandem meritam vertit dolor acer in iram.
426 Quondam etenim Cybele in magnas Berecynthia mater
427 sollemnes de more dapes ac vina pararat,
428 constiterantque deae ad mensas ac pocula nymphae
429 ultima miscuerant, cum sic Venus aurea coepit :
430 "Felicem mea me soboles facit ; haec mihi divos
431 subjicit, haec mortale genus." Quam plura parantem
432 occupat his Latona : "Decus noctisque dieque
433 cum peperit, et lucem terris et lumina caelo
434 tum peperit, toto et tenebras ex orbe fugavi,
435 luceat ut per me tellus, resplendeat aethra,
436 exornentque vagum lustrant quae sidera mundum."

437 Dicentem increpuit Juno atque haec vocibus infert :
438 "Immemor es nostri, Latona, et adultera jactas
439 infamem sobolem et media inter vina superbis."
440 Illa refert : "Tua te proles invisita parenti
441 nobilitet, regina, et caelo excussus ab alto
442 ille, ille e Junone satus, quem fumida Lemnos
443 exercet fabrum aut nigris incudibus Aetna."
444 Demisit Juno vultum, mox indecor ira :
445 "Monstrosos partus fumantemque objicis Aetnam,
446 cui gener Alcides, cui filia nobilis Hebe ?
447 Haud proles mea Vulcanus. Plutonia proles
448 ille ille est, enisa cavo quem fornice tellus
449 expulit e latebris, quem vix in luce receptum
450 non Erebo pater admisit, non aethere divi."
451 Riserunt incensam aliae in convicia divam ;
452 indoluit tamen una Ceres, quaeque astitit illi
453 fida comes Liparae, Aeolidum quae prima sororum.
454 Ergo ubi Zanclaeos portus tenuere, et amicis
455 Trinacria accepit terris, Aetneiaque antra
456 admisere deas solitum et Vulcanus ad ignem.
457 Nacta ibi tum Lipare tempus convicia matris
458 rettulit et partus inimica mente negatos,
459 mentitamque deae prolem ac Plutonia furta.
460 Intumuit dictis juvenis, succensus et ira
461 ultorem minitatur, et acri in corde volutat
462 maternum vulnus, odiisque incessit amaris.
463 Inque dies auget vires dolor, ac memor artes
464 excutit, exploratque iter ac vestigia matris.
465 Dum Samon Oceani mensis digressa per altum
466 ire parat, movet abruptis fornacibus Aetnam
467 exitium intentans. Illa acri victa dolore
468 ingemit et caelum insolitis conquestibus implet.
469 Leniit iratam complexu laetus amato
470 Jupiter, et placidam accepit per membra quietem.
471 Tum deus ignipotens invento fulmine primum
472 ipse suum miratur opus, mox limina gratus
473 accedit Jovis et laudato munere donat.
474 Jupiter ob meritum Lemnon dedit, inde trisulcum
475 molitus dextra fulmen cognovit in illo
476 usus quantus erat, seque hoc audentior armat.
477 "Hoc mea perjuros leto dat dextera, dixit,
478 hoc ego terrigenas exstinguam aliquando Gigantes,
479 hoc etiam conjux timeat sacrumque potensque ; "
480 tum movit caput et percussit honoram.
481 Fulminis hinc ingens et mira potentia fertur.
482 Nunc etenim afflatu tenui pecudemque bovemque
483 aut virides tondentem herbas, aut illice ab arcta
484 arcentem nimios animosi sideris aestus
485 exanimat, nulla ut maneant vestigia mortis,
486 optatum ut credas armenta haurire soporem,
487 ut placidum videas pastorem ducere somnum.
488 Nunc ustos artus atque ossa rigentia cernas,
489 non faciem, non ora hominum, non corpora noris ;
490 nunc ipsis etiam in stabulis (mirabile dictu)
491 quadrupedem exsolvit, pedibus quoque ferrea demit
492 vincula, et intacto terram quatit ungula cornu,

493 illaesus sonipes alta ad praesepia mandit.
494 Vidi ego, cum incolumi totus pede calceus arsit ;
495 senserunt alii fulvum effluxisse metallum
496 e loculis, tanta est vis insita fulminis auris :
497 rara etenim densis cedunt, at densa repugnant
498 ipsa objecta sibi contra et sua proelia miscent,
499 concedit duro tenerum et penetrabile acuto,
500 dissipat afflatu subito leve, trudit ad imum
501 quod grave, diffringunt rigida atque obtusa recludunt,
502 insinuant tenui quae disploduntur ab aura.
503 Quin variant etiam vires et vulnera teli
504 fulminei, seu marmoreis se in turribus altum
505 impegit, seu litorea desedit in alga,
506 aut quae per mediam fumant fenilia brumam.
507 Saepe per aestatem caelo si forte silenti
508 aut carpes iter, aut Mavortia signa secutus
509 traduces vigilem per jussa silentia noctem,
510 collucere faces caeloque cadentia cernes
511 sidera et incensos per sudum albescere tractus.
512 Halitus hic modicusque et caeco impulsus ab igni
513 incidit in gelidas ut primum frigoris oras,
514 nec potis incretum longe exsuperare rigorem,
515 torquet iter fugiens nunc huc, nunc mobilis illuc ;
516 donec conceptam traxit per viscera flammam,
517 nunc proprio incensus raptu, nunc terque quaterque
518 exagitata ferens impactae verbera nubis.
519 Ast ubi summosque locos atque aera summum
520 pervasit, qua continuous convertitur orbis,
521 hic rapido impulsus cursu vertigine et ipsa
522 incensus varia splendet per inane figura.
523 Arida concipiunt ignem, fervetque agitando
524 spiritus, incendit pugnancia corpora motus.
525 Sive igitur lato amplexu multumque coacta est
526 materia, atque ingens series et longior ordo,
527 seu contra brevis et tenuem sortita vigorem,
528 quae facies, quae forma etiam, qualisque figura,
529 talis in aereo perlucet vertice flamma :
530 nunc jaculi in morem, validus quod torserit hostis,
531 nunc quales splendent lychni laquearibus aureis,
532 nunc qualis tenues ignescit stuppa per auras,
533 nunc flectit sese in spiras sinuata draconum,
534 nunc micat, ut celeri fallantur lumina sensu,
535 nunc cadere ut timeas ex ipso sidus Olympo.
536 Saepe etiam torrem ambustum rutilante favilla
537 cernere erit, caelumque cavo se scindere hiatu,
538 tum, cum sub noctem obscuram atque in nube profunda
539 nigrescit vapor, et permultum caerulea fumant
540 fomenta, trahit et subitam vis ignea flammam.
541 Illicet e mediis tenebris fumoque frequenti
542 erumpit flamma et caelo se fundit aperto,
543 ut timeas noctem ruere atque fatiscere Olympum ;
544 praesertim cum praecipiti vertigine torris
545 excussus cadit, atque cadens nigrum aera findit.
546 Flamma etenim cum caeruleo se miscuit et cum
547 lux atro insinuat penetratque immissa profundo,
548 tum nubes patet et lato se solvit hiatu

549 luminaque ipsa imum subeunt admissa recessum,
550 ac patefacta cavo pandunt sese abdita tractu.
551 Et quoniam tres in partes distinguitur aer,
552 prima aequae patiens est frigoris atque caloris,
553 alternasque vices alterna sorte rependit,
554 vere tepens, aestate calens, eadem horrida bruma ;
555 proxima, ab inflexu radiatorum amota, malignum
556 frigus et algentem late complexa rigorem,
557 in quam caeruleus passim vapor actus inerrat,
558 unde cadunt imbres, unde et nix concitat alas ;
559 ultima torrenti semper sitit usta calore,
560 flammaram consueta vagos involvere tortus.
561 Halitus ille igitur longe validusque potensque
562 huc penetrat, superatque hiemes et frigora victor.
563 Ergo aut est partes aequae diffusus in ipsas,
564 et lato arescens incendia suscipit orbe
565 lampadis in faciem, quae plurima nocte refulget
566 ante deos, aut in latus inclinante figura
567 contrahitur magis hinc, inde altera prominet ala,
568 ut crassum aut credas lapidem, aut ignescere truncum ;
569 (ipse quidem dextra pellem trahis, illa trahentem
570 jam sequitur protenta manu, sed parte sinistra
571 subtrahitur, quodque hac accedit, demitur illac :
572 hinc titubant duplices sub iniquo pondere lances) ;
573 aut sparsim fusus rapidoque abreptus ab igni
574 scintillantem animam vomere atque efflare videtur,
575 ut quando in stipulis furtim vagus incidit ignis,
576 huc illuc dispersa volant incendia, nec se
577 miscet flamma salitque leves perfervida culmos.
578 Sed neque tam tenuis terrarum est halitus, ut non
579 et densas habeat fumoso in corpore partes,
580 quae sursum raptae totoque volumine mistae
581 densantur. Leve in aerium se tollit acumen
582 consurgens, graviora suo sese ordine ad imum
583 detrudunt, donec cunei sub imagine flammam
584 concipit et rutilus micat inter sidera conus.
585 Tunc aliquis limosa agitans ad flumina Nili
586 piscator, dum nocte oculos ad sidera tollit,
587 obstupuit doluitque simul super astra referri
588 pyramidas veterumque rapi monumenta virorum,
589 Aegyptumque suis superos spoliare trophaeis.
590 Interdum longam erectus consurgit in hastam
591 parte levis, parte obducta caligine densus,
592 non tamen ut majora trahat vestigia cauda.
593 Hoc quondam telo Tityon per viscera adacto
594 stravit humi, stratumque novem per jugera victor
595 extendit thalamos ultus tentataque matris
596 fulcra, nec indignos statuens Mars ferre dolores.
597 Laudarunt facinus superi, atque hinc ipse superbus
598 spicula non ponit manibus, non deserit hastam.
599 Aeris haec partim media regione feruntur
600 ipsa suis incensa opibus, dum vulnere crudo
601 certatim exercent vires et proelia miscent ;
602 aestiferis partim in campis, regione suprema,
603 qua caeli vertigo agitans rapit, unde coruscat
604 tractim flamma rubens, atque ignea fulget imago.

605 Nubibus est etiam color et suus. Hoc, age, ut omnem
606 aera percipias, ut ventos denique noscas.
607 Alba parum densa est raroque immista vapore,
608 quam sol irrumpit radiis et ad intima tranat ;
609 nigra gravem traxit densa caligine fumum,
610 non illam ut penetrent Nemeaei lumina Phoebi ;
611 Puniceam multus subiit calor ; occupat humor
612 caeruleam gravidamque imbri longeque madentem.
613 Has collidentes sequitur fragor, et simul ingens
614 porta tonat caeli, rumpitque ad Tartara clamor.
615 E quibus ut sese emisit violentior ignis,
616 fulgurat, et densas rutilus discriminat auras,
617 nonnumquam ut longum nubes diducat hiatum,
618 ac nigri pateant prorsus penetralia nimbi ;
619 nonnumquam levis ipse levem sine vulnere nubem
620 evadit, tamen et splendet qua semita monstrat,
621 ac micat, ut celeri fallantur lumina sensu.
622 Flamma rubescenti multum saturata colore
623 admonet admistas fluviali e corpore vires,
624 humidaque ingentem praebere alimenta vigorem,
625 quod probat exsiliens lignis viridantibus ardor ;
626 albescens tenuem succum atque arentia monstrat
627 fomenta et celerem peracuti luminis auram ;
628 at cui sanguineus color insidet, et nigrantem
629 prae se fert late obscura sub luce cruorem,
630 haec validas terrae vires durataque jactat
631 robora, et immanem vasta cum mole ruinam.
632 Fulminis hinc varians et tanta potentia fertur.
633 Namque ubi nube cava tenuisque et plurimus alte
634 truditur incensis et se fert spiritus alis,
635 ille quidem levitate sua penetratque ruitque
636 lubricus, et tenuis multum loca pervia tranat,
637 ut nulla incensae linquat vestigia flammae,
638 nec mora sit telo tenui ac penetrantibus auris.
639 Aera fluent tamen afflatu, ac via vulneris atro
640 livescet fumo, et piceum dabit usta nigrorem,
641 aeratis quotiens clipeis impegit, et ipse
642 mole piger lentis it tardior impetus alis,
643 duraque pugnaces objectant robora conti.
644 Cernere erit flagrantem iterum Ucalegonta et opimis
645 cum spoliis templa excisis avulsa columnis,
646 ac furere attonitas incendia saeva per urbes :
647 tanta mole ruit tantaque impulsu ruina
648 fumida vis, procul acta polo atque e nube profunda.
649 Si quando extrusus multoque accensus ab aestu
650 spiritus it tonitru horrificans, atque igne coruscus
651 tractu ingens tardusque gradu et longe auctus eundo
652 scinditque uritque et longo secat aera hiatu,
653 tum montes quatit impellens, discindit et arces,
654 et correpta micant diris navalia flammis.
655 Praecedit longe vulnus tremor, usque adeo vis
656 impellens furit atque intendit spiritus auras,
657 et late arentes coeunt ad vulnera fumi :
658 ut, cum irata manus tormento exclusit ahenis
659 fumantem pilam versatque volubile saxum,
660 inclusi erumpunt ignes nigrantibus auris,

661 fit tremor horrendumque sonat, tum plurimus ante
662 sternit iter fragor, et gemitu saxa icta resultant,
663 disjectaeque ruunt prostratis moenibus arces.
664 Ventorum nunc te causas patriamque docebo,
665 quaeque illis natura, et quae sit cuique potestas.
666 Aridus ille autem atque ima tellure remissus
667 hos generat, viresque animis roburque ministrat ;
668 sol pater educit, mater dedit ubera tellus.
669 A summo Boreas, Notus imo spirat Olympo,
670 occasum insedit Zephyrus, venit Eurus ab ortu ;
671 hos circum varii dextra levaque feruntur,
672 atque agitant tenues diversis flatibus auras.
673 Et quoniam medium lustrans sol circuit orbem
674 per duodena vago digressus signa meatu,
675 iccirco quicquid gremio telluris in altum
676 eduxit, partim argentem festinat in Arcton,
677 partim ad declivem Libyae divertitur oram,
678 dum radios ac saeva timens incendia vitat.
679 An dextra laevaue ferens se, impune vagatur
680 fumida vis, quando hinc Libycos, ast inde recessus
681 Arctos semel in toto sol ambiat anno ?
682 Unde sibi vis ipsa et opes et robora firmet,
683 cum tamen assiduus media regione recurset
684 Eoum Hesperiumque petens sol annuus orbem,
685 urat et accensos quos ipse per aera fumos
686 traxerat ? Inde frequens nunc hinc, nunc effurit illinc
687 frigidus aut Aquilo, aut nimbis violentior Auster,
688 Auster solstitio veniens regnisque perustis,
689 unde calet magis, et pennis madidantibus usus
690 invergit largos agris sitientibus imbres ;
691 quin imo quoque digrediens et fessus et in se
692 saepe repercussus graviores concipit aestus.
693 At Boreae patriam horrentem frigusque rigorque
694 insedere ; hinc terra gelu concreta vaporat
695 tenuius horrescitque aer, volat inde serenus
696 spiritus et siccis vestigia commovet alis ;
697 an quia, summa tenens caeli loca, multus et ingens
698 inde ruit pellitque auras et nubila differt,
699 nulla ut hyperboreo maneant vestigia tractu ;
700 sed tamen et longo vectus trans aequora cursu
701 irrorat caput et madidus cervice fluenti
702 fundit aquas, servatque olim quae foedera sanxit.
703 Namque olim provectum Austrum trans litora Rheni
704 Oceani fama et totiens refluentibus undis
705 excipit incautum Boreas, et vincula nectit.
706 Ille ut se captum agnovit sensitque catenas :
707 "Non te ergo Siculo mari, nec finibus Afri
708 litoris arcuerim, liceat nam te quoque nostram
709 visere Cyrenen, Libycosque intrare recessus,
710 ac nostro terram arentem sanare liquore."
711 Hinc quoque securus per regna aliena recursat,
712 et madidus pennis sitientes irrigat Afros ;
713 hoc quoque frigidior, quod per declivia labens
714 objicibus nullis cursus agit ipse secundos.
715 Vere etiam regnare volunt, quo tempore primum
716 optatae crescunt luces et lubricus annus

717 convertit terga atque hiemem postegit iniquam ;
718 tum, liquefacta movens terrarum claustra, caminos
719 sol aperit laxos, volvitque per aera fumum :
720 hic somno excitus, commotisque impiger alis,
721 linquit hyperboreos declivi tramite montes.
722 Quin ubi sol propior majora incendia movit
723 flagrantisque impedit equos per viscera Cancri,
724 cum nebulosa cavis fumat Germania campis,
725 ac multus vapor ad superas sese extulit auras,
726 quemque frigida vis Boreae comes addita cogit ;
727 illa etiam de parte graves incumbere nimbos
728 cernere erit, fuisque augescere nubibus amnes,
729 in mediisque natate etiam fervoribus agros.
730 Hoc etiam e caelo ac semper radiantibus arctis
731 et gelidae incumbunt aerae, ac vehementior urget
732 ventorum vis finitimis regionibus acta.
733 Omnis in adversos ventus non pervenit axes,
734 et quidam certo sedem posuere recessu.
735 circion Hispanas fama est regnare per urbes
736 et pecori strages meditantem et proelia nautis ;
737 non alpes hunc Aeniae, non frigida norunt
738 Pangaea, aut nimbis numquam non turbidus Haemus,
739 vix fessum Entellae excipiunt cavaque hostia Macrae.
740 Sentit vicinum solem Nabatheius Eurus,
741 arentisque impellit equos comitante calore.
742 Diversum Zephyri spirant Aquilone propinquo,
743 et solem fessum excipiunt altoque cadentem ;
744 frigidus hinc pluviisque vigor. Sed turbidus Auster
745 ipse agit undantes nimborum in proelia turmas,
746 dux ipse pluviarum et longe maximus auctor.
747 Eductos namque immensum regione perusta
748 densorum fluctus longinqua ab sede vaporum
749 involvit, raptatque agitans, qui deinde soluti
750 fundunt praecipites abruptis nubibus imbres,
751 diluvioque una absorbent pecudesque virosque :
752 tantum Auster discussa furens per nubila saevit.
753 Cur autem quando huc totiens discursset et illuc
754 spiritus hic, varios agitans sine lege tumultus,
755 cur non et superas pennis petit improbus arces ?
756 Omnis in aerias quicumque elabatur oras
757 halitus, immisto paulatim educitur igni ;
758 qui postquam gelidam summo capite attigit arcem,
759 sensit et adversi contraria frigoris arma,
760 illicet ipse pedem retro fert, pondere et ipso,
761 quod multum traxit gravida de matre, volutus
762 ad matrem trahitur. Ecce hic novus advenit ignis
763 auxilio, retinet labentem. Ille arma resumit
764 fortior ad pugnam simul huc perlatus et illuc.
765 Dumque cadit resilitque, levis dum pellitur aer,
766 et quo majores a frigore pertulit ictus,
767 majoremque trahit fecunda e matre vigorem
768 halitus, hoc majore ruens ferit aera pulsu :
769 ut, cum Maeoniae in campis vada ad alta Maeandri
770 pastor agens baculo stagnantem percutit undam,
771 illa fugit circum et gravidum dat pulsa sonorem,
772 impellitque undam illabens nova protinus unda.

773 Ergo paulatim augescens fit major eundo
774 impetus, et vires gravioraque robora sumit :
775 ut, cum de tenui primum fonte effluit humor,
776 it rivus, post collectis procul imbribus amnem
777 ingentem raptat ripis, longumque profectus,
778 tum plenus rapidis in pontum immittitur undis.
779 Autumno sed enim vento vis plurima, largum
780 cum spirant terrae, cum plenior halitus exit,
781 terrenique magis suffundunt aera fumi.
782 Hoc iterumque iterumque etiam multumque monebo.
783 Incendunt nimii leviter fumantia soles,
784 incensa exurunt late, praesertim ubi altos
785 Phoebus agit currus fulvoque sidere lustrat
786 exiguis habitata locis Massilia regna.
787 Idcirco latera ad mundi atque extrema viarum
788 terrestres caligo habitat, quo languida solis
789 vix penetrat vis et radiis minus urit acutis.
790 Ipsa etiam partim levis aspiratio, ut alte
791 fumida, partim etiam gravis, ut tellure remissa ;
792 atque illinc facile admittit resoluta calorem,
793 hinc percussa gelo riget ac densata gravescit ;
794 inde etiam transversa ruit, nam frigore abacta
795 ne sursum penetret, mistoque calore retenta
796 ne cadat in praeceps, transversum impellat oportet
797 aera, sive quod extremis in finibus orbis
798 regna tenens castris illinc se fundit apertis
799 visura et medias mundi penetrabilis oras.
800 Nam neque pulveream in pluviam descendere par est.
801 Nec tamen abnuerim lunamque errantiaque astra,
802 quae medium assiduis peragrant discursibus orbem,
803 in medium quoque ab extremis caliginis auras
804 attrahere, in variasque orbis depellere partes.
805 Ergo et cum arentes rapidus sol usserit agros,
806 et cum victa gelo queritur mala frigora tellus,
807 tum tibi tranquillae permittent otia luces,
808 grataque sedatae praestabunt somnia noctes,
809 pacatisque ingens requiescet flatibus aer.
810 Nec non post largos imbres pluviamque madentem
811 compositae cessant aerae, tacitusque quiescit
812 spiritus et nulli veniunt in proelia venti.
813 Hoc quoque post Boream argentem atque rigentia flabra
814 cernere erit, quotiens crudo sub frigore tellus
815 concrevit, simul et durato tergore saevit ;
816 spiramenta soli claudit rigor, obstruit omnem
817 vis aditum, nullus spirat vapor aut fluit extra
818 halitus, unde novis veniant alimenta procellis.
819 Si tamen exspectes novus ut calor et nova flamma
820 torreat humentes latices, et forte per altum
821 ire paras, videas turbantibus aera ventis
822 magna mole graves urgeri ad litora fluctus ;
823 alternis dat enim tellus adimitque alimenta.
824 Turbineus fortasse glomus miraberis, unde
825 eruat evulsam summis radicibus ornum,
826 nunc frangens monte adverso, nunc nubibus actam
827 agglomeratque agitatque frequens ; tandem illa ruina
828 prona cadit, longo plangens sola senta sonore.

829 Interea densa obscurus caligine fertur,
830 perque vias perque arva simul sternitque, feritque
831 pulvereus globus, involvens caelumque diemque.
832 Namque per adversum dum concursantia venti
833 arma movent animisque pares et viribus, ecce
834 certamen magnum exoritur : ille impiger instat,
835 Hic clipeo obnitens longe adversatur ; utrimque
836 impetus, utrimque et robur ; nunc pellitur ille,
837 hic pellit ; nunc sors variat mutata, nec ullus
838 statve loco ceditve loco ; nunc ille sinistra,
839 hic dextra incursat feriens et in orbe gerit rem ;
840 nunc ictus clipeo exsiliens petit aera, nunc se
841 intorquens terram ingenti divellit hiatu,
842 dum vel uterque cadat moriens vel cesserit alter,
843 aut jungant socias concordi foedere vires.
844 Quin et fumida vis tellure exclusa levemque
845 aera per sublata, suoque evecta calore,
846 conflictata diu propter terrasque solumque,
847 aridaque et multo firmans sese aucta vigore
848 vexatque, infringitque agitans pulsum aera, et una
849 aequoraque et fracto displosa tonitrua caelo
850 disjicit ; infremitatque aequor, cavaque antra resultant,
851 torquentur nemora, et valles ad sidera clamant,
852 pulvereusque diem tegit intra nubila nimbus.
853 Tempora quin etiam certa ratione tenenda,
854 ut cum se in praeceps aut ver agit, advenit aestas,
855 aut cum declinat rapidus sol, appetit aeger
856 ventorum pater autumnus, seu frigida bruma
857 autumnum fugat, aut vere adventante fugatur ;
858 turbat enim versatque omnis mutantia rerum.
859 Idcirco si tum nimborum aut sideris ortum
860 videris, aut properare cavo procul aequore mergi
861 infelix astrum, atque acri lunam hoste teneri,
862 Mercuriique graves sidus portendere ventos,
863 ne dubita ingentem caelo variante procellam
864 affore, quae simul involvat terrasque fretumque,
865 vertat et audaces in vota miserrima nautas.
866 Saepe etiam rapidum ad solem mediosque per aestus,
867 colle vel aereo, aut udi prope litoris oram,
868 aut propter liquida nebulosi fluminis undas.
869 Aestatem indomitam increpitans Zephyrosque silentes,
870 aurarum gelidas sensi properare cohortes,
871 solis anhelantes pellunt quas axe quadrigae.
872 Ipsae iter intenduntque fuga, traduntque repulsum
873 aera, qui tenues motu fovet incitus auras,
874 adjuvat et mare commotum fluviique recessus :
875 hinc mulcent tenerae summotis aestibus aerae.
876 Namque etiam umbrosa in scena, cum incanduit aer,
877 oraque saltantes tergunt sudantia nymphae,
878 frondentem siquis ramum ramaliave arma
879 ventilet, aut tenui dimoverit aera penna,
880 quamprimum Zephyri frigentem exciverit auram.
881 Circum etenim qui nostra frequens se calfacit ora
882 spiritus impulsu facili fugit, advenit aer
883 inde novus, mora nulla, alter succedit et alter,
884 ut nequeant circum ora novae recalescere partes,

885 cum fugiant subitis excitae impulsibus aurae.
886 Nec vero vallesque cavae recubantiaque antra
887 ac, caelo variante, situs terraque marique
888 non multum adjiciunt ventis densantve acuuntve.
889 Inde salutiferis spirant afflatibus illi,
890 hi gravibus tentant morbis languentia membra ;
891 nam venti mutant quotiens mutantur et una
892 corpora cuncta, habitu perstat natura nec uno.
893 Flat saltus post Pelignos, qua volvitur ingens
894 Aternus de valle cava atque humentibus antris,
895 ipsa quidem sub mane novum cita solis ab ortu
896 aura recens, qua culta nitent, qua poma foventur
897 ramis laeta suis, largo et sata semine turgent ;
898 haec eadem rapidum ad solem mediosque per aestus,
899 nec longo spatio provecta aut viribus auctis,
900 vanescit primo moriens et solvitur aevo :
901 usque adeo variant venti visque insita ventis.
902 Illyricis specus est ingens in finibus, antrum
903 ventorum immane, unde irae immitesque procellae
904 erumpunt, quotiens terris fera saevit Erinnyes,
905 immittitque hiemes pelago et se proripit umbris :
906 non tutae stabulis pecudes, non oppida muris,
907 non ipso in portu classes ; fremit Hadria, et atros
908 horrescit trepida Garganus ab arce tumultus.
909 Non illo quicquam vento crudelius, ut se
910 excussitque antro et portis ruit acer apertis :
911 pastores, cohibete ignem et procul abdite flammam.
912 Quae ventos moveant causae, quis et halitus auras,
913 hactenus, o mihi care puer. Nunc unde tumultus,
914 et tanti veniant terrarum in proelia motus,
915 unde vagi excutiant divulsa cacumina montes,
916 flumina convertant cursum, aut premat alta vorago,
917 unde tremat tellus quamprimum, adverte, docebo.
918 Principio ingenti late circumdata ponto
919 tellus fumificis incendia pascit in antris ;
920 inde tepent bruma fontes, cerealiaque arva
921 spargit saepe novis, quas evomit, Aetna favillis.
922 Haec eadem sub speluncis tenuem aera claudit ;
923 inde sonant saepe occultis mugitibus antra.
924 Arida quamquam etiam ac venis sitientibus, amnes
925 emittit tamen et dulci rigat arva fluore,
926 et quamvis largum caelo ruat agmen aquarum,
927 excipit in sese ac rursus madefacta remittit ;
928 hinc ergo humentes animas fluidumque vaporem
929 spirat agens, calido aut rursus secat aera fumo.
930 Nunc halat siccum et crasso de pectore flamen,
931 aut tenui volucrem suffitu exsuscitat auram ;
932 hinc ille et motu facilisque et viribus acer
933 spiritus, atque imas habilis penetrare cavernas,
934 et rursus violentus atroxque erumpere, claustrisque
935 inclusus fremit et multus vacua atria versat ;
936 idem etiam in flammam abit et furit igneus atros
937 intorquens lapides tormento exclusus ahenus.
938 Evocat haec genitor rerum sol, excipit aer,
939 ipsa parens tellus large indefessa ministrat.
940 Quae tamen e nimis nunc inde caloribus usta,

941 hinc nunc, victa gelu et multa durata pruina,
942 contraxit dubios languenti corpore morbos,
943 ut neque sit superante anima spirare potestas.
944 Ergo incerta ferens raptim vestigia anhelus
945 spiritus incursat nunc huc, nunc percitus illuc,
946 exploratque aditum insistens et singula tentat,
947 siqua forte queat victis erumpere claustris.
948 Interea tremit ingentem factura ruinam
949 Terra suis quatiens latas cum moenibus urbes ;
950 dissiliunt avulsa jugis immania saxa,
951 procumbunt turres, sternuntur funditus arces,
952 magnorumque cadunt templa impolluta deorum,
953 excidium ut magni jam jam timeatur Olympi.
954 Hoc etiam, ut magna e parvis cognoscere possis,
955 cernere erit, nostro quotiens in pectore sistit
956 spiritus ac tenuem neque dat neque suscipit auram ;
957 tum velut intercepta anima tremor occupat artus,
958 pugna intus, micat extremis in partibus horror.
959 Ergo ubi collectis immensum viribus aurae
960 crebrescunt, via fit, ruptisque meatibus efflant ;
961 antra sonant mugitque solum vallesque resultant,
962 turbatos putei eruptant super hostia fontes.
963 Vanescit paulatim aeger dolor, antra quiescunt,
964 quique vigor fuit ante, refert se in viscera terrae,
965 atque alacres redeunt desueta ad munera venti.
966 Saepe igitur, cum jam multis maduere diebus
967 arva, natant plenis demersa novalia fossis,
968 nec pelagus capit avulsis minitancia ripis
969 flumina ; tum sua castra movens sullimis ab Arcto
970 nubila de toto Boreas discussit Olympo
971 frigidus, et sociis commisit proelia Cauris.
972 Hic tellus, primum assiduis gravis imbribus et jam
973 obstruis venis validarum pondere aquarum,
974 post, Borea perflante, solo concreta et iniquis
975 obsita frigoribus, sese contraxit et horrens
976 horrentem late duxit per membra rigorem,
977 unde nequit clausis efflare canalibus auram.
978 Ut quondam infelix valido Campania motu
979 oppressit miseris ipsis cum civibus urbes,
980 cum vatem fessae vix eripere Camenae
981 labenti e thalamo ac tecti minitante ruina.
982 Interdum vacuis tellus male nisa cavernis
983 finitimisque agitata fretis propter maris aestum
984 concutitur ventis pugnantibus, effurit intus
985 vis ingens, extra prohibet ventusque fretumque ;
986 quod saepe Euboico testantur litore Cumae,
987 et quondam vexata gravi Pelopeia motu.
988 Praeterea saepe occultis fornacibus ignis
989 aestuat, involvitque globos, siqua potis extra
990 rumpere, et imposito luctans sub pondere saevit
991 improbus, attollitque elato vertice colles ;
992 at postquam superas victor pervasit ad oras
993 spiritus, immistus fumo et caligine densa,
994 pulveream spargit tremefacta per oppida nubem,
995 immundum et cinerem jactat vicina per arva.
996 Aeoliam fama est Liparen de rupe propinqua

997 hoc sensisse malum et lucem doluisse negatam ;
998 Aenariam quoque (certa manent vestigia) ut olim
999 idem agit in cineres glomeratus pulvis ad auras ;
1000 pulvereum queritur spargi Prochyte ardua nimum,
1001 illa solo fumante, gravi concussa ruina
1002 spargit desertos incendia lata per agros.
1003 Pertimuit mare flammigeros devolvier amnes,
1004 incensum et late scopulos super aera ferri.
1005 Aestati atque hiemi male creditur, et tamen udo
1006 vere magis, seu cum pedibus fluit uva sub unctis,
1007 tum saevit furor et bello sese arduus armat.
1008 Quin etiam ut natura soli tractusque locorum est,
1009 flumina nunc iter intorquent, nunc alta vorago
1010 sorbet hians, nunc sicca fuit quae terra paludem
1011 hausta facit, quae caeruleo circumflua ponto
1012 continet, insiluit pelago quae juncta manebat ;
1013 nunc nutare urbes, nunc et fluitare videmus
1014 undarum in morem, dubio nunc verbere subter
1015 quassari, aut sursum sublato pondere ferri,
1016 horrendos nunc clamores ad sidera tolli,
1017 nunc mugire solum, aut animas Acheronte remissas
1018 auribus instrepere, aut equitem resonare sub armis ;
1019 sibilat ecce alibi, aut antro fremit aura recluso.
1020 Vidimus antiquas veteris Dicaearchidos arces
1021 assiduam longo motu traxisse ruinam.
1022 Bis messor legit spicas bis vinitor uvas.
1023 Interea validi quatiebant moenia venti
1024 funditus, atque imo versabant tartara Averno ;
1025 arebant sitiante solo sata, nec temere ullae
1026 manabant caelo pluviae, tristisque per arva
1027 squalor erat moerorque herbis morientibus ingens.
1028 Non usquam caeli rabies torrentior arsit.
1029 At postquam cessit tremor ac solida arva quierunt,
1030 (certa fides) terris cessit mare, reddidit agris
1031 Neptunus longo tandem post tempore quod jam
1032 abstulerat prius et victor ditione tenebat :
1033 usque adeo impellens variat vis. Ergo, age, caelum
1034 inspice, si quando terrestribus aemula signis
1035 arma ferant Mars bellipotens et Jupiter Ammon,
1036 Jupiter aeras qui fulmine concutit arces.
1037 Hi tibi signa dabunt venientis ab aere motus,
1038 quo tellus tremit incluso et gravida antra fatigat.
1039 Nec vero aut tenebrae, aut nocturna silentia, cum jam
1040 frigore concrescunt terrae et vis humida regnat,
1041 sunt tantum metuenda, aut matutina pruina ;
1042 verum etiam mediis in solibus, atque ubi saevit
1043 aestivus calor, et cum spiramenta retundit
1044 sol medius retro et fumos compellit inertes,
1045 et tellus tremit, et volucres erumpit in auras
1046 spiritus indignans clauso circum aggere cingi.
1047 Ipse vides, quotiens agitatis fluctibus aequor
1048 tollitur et salsa spumant aspergine cautes,
1049 litora tum sinuosa magisque magisque videri
1050 curvari et solito majus, postquam alta quierint
1051 aequora ventorumque simul gravis ira repressa est ;
1052 tum contra recto tractu maris ora videtur

1053 tendere iter, summae in longum spectantur arenae,
1054 ac nullas agitatur sublatus spiritus undas.
1055 Hic terras quatit inclusus, maria intima versat
1056 exagitans, verritque auras ; hic impete vasto
1057 discindit nubes, explosaque fulmina torquet
1058 cum tonitru, et rapidis illuminat aera flammis.
1059 Hoc igitur cessante, aer silet undique, ut illum
1060 dividat aequali interdum nubecula tractu,
1061 tempore quo inclusus specubus longe aestuat intus
1062 halitus arescens et humum quatit improbus, unde
1063 tellus intremittit et vacuis sonat icta cavernis.
1064 Sed tamen et persaepe cavis furit abditus antris
1065 infremittans, quando aereo se tramite contra
1066 ventus agit vetat atque imis erumpere claustris ;
1067 tantum adeo variant et vis et causa movendi.
1068 Spirat ad Ansancti vallem specus ; hinc procul et grex
1069 et pastor divertit iter, procul evolat ales,
1070 incidat in saevam pennis ne lapsa mephitim
1071 et cadat infelix subita exanimata ruina.
1072 Spiramenta soli quondam tremor ille reclusit,
1073 exhalat vis unde nocens per viscera terrae
1074 conflictata diu tetroque infecta veneno.
1075 Hinc necat afflatu misero sternitque animantes
1076 saeva lues procul acta Erebo Stygiisque cavernis.
1077 An non Harporum in campis, Garganide terra,
1078 quaque celer dubiis ripas secatur Aufidus undis,
1079 effossa tellure vapor cerealibus horreis
1080 inclusus subito exanimatur, nec ut aera divum
1081 accipiat, reddatve infossi exhaustor acervi ?
1082 Usque adeo inclusas pestes dira occupat auras.
1083 Nunc, age, siquando aethereo delapsa ab Olympo,
1084 Iris, ades, vatisque oculis permittite videndam,
1085 dum genus et certos memorem quibus orta parentes ;
1086 nam te vel natale decus, vel sanguinis auctor
1087 nobilitant, tu forma inter pulcherrima nymphas
1088 spectanda et caelo et Musis celebranda canoris.
1089 Pastorem fama est Phoebum Peneida ad undam
1090 incassum post absumptos in virgine fletus,
1091 post deploratos totiens in cortice amores,
1092 invitum ad superos ac munera nota redisse
1093 solantem casus cithara ac testudine eburna ;
1094 paulatim irrepsisse novam sub pectore flammam
1095 virginis Aeriae, solam quam Juno ministris
1096 praetulerat fidam thalamis gratisque sodalem
1097 alloquiis, cui cura omnis quoque credita herilis ;
1098 tentanti in thalamos aditum insidiasque paranti
1099 et reperisse viam casum, et docuisse repertam.
1100 Oceano forte in magno sub Tethyos antra
1101 Juno aberat, ducens laetam per pocula lucem ;
1102 aerea e thalamis ut erat lascivior annis
1103 prodierat procul emotas spatiosa per auras.
1104 Prosilit e specula juvenis, timidamque repente
1105 occupat amplexu ; tum, ne quis cernere posset,
1106 nube cava involvit ; mox, ad sua gaudia versus,
1107 optatis fruitur thalamis gravidamque relinquit.
1108 Illa uterum celans nono post mense gravatum

1109 ponit onus ; fratri praesto Lucina petenti
1110 affuit, exceptit neptem gremioque levatam
1111 nubibus Aeriae prolem commendat alendam.
1112 Ut crevit forma praestans et corpore nympha,
1113 visaue digna deo proles, dum Jupiter illam
1114 factus avus fovit gremio, miratus et ora
1115 et crines flavos et lumina digna parente
1116 et pharetram et quod, quem pater illi tradidit, arcum
1117 lunabat, capita ut simul accurvata coirent,
1118 solis ad occasus ut spicula solis ab ortu
1119 mittat, ab occasu facile ut jaculetur ad ortum
1120 neptis avo digna, simul et patre digna virago.
1121 Jupiter ob meritum speculo donavit, ubi omnem
1122 aera prospiceret, terras pontumque videret,
1123 quo foret et nymphis etiam spectabilis ipsis.
1124 Nate, igitur siquando sedens aestate sub altis
1125 porticibus, forte aut nemorum viridante sub umbra
1126 auratum admoris labris sitientibus amnem,
1127 ne pigeat, simul ac gelidum cratera liquorem
1128 hauseris, ardentem ad solem atque ad lampada Phoebi
1129 sistere, post altam tua lumina ferre sub umbram ;
1130 illicet aspicias solem laquearibus ipsis
1131 fornicibus sive in mediis altave columna
1132 fulgere, oppositam radius dum flectit in oram
1133 lubricus effusoque super loca lumine lambit.
1134 Haud aliter, levi in nube caeloque quieto
1135 obliquus cum se radiorum impegerit ardor
1136 nubila per, conversa acies in fronte resultat ;
1137 flectuntur retro radii, fit protinus arcus
1138 ille quidem varios ducens e nube colores.
1139 Ut viridi quotiens ligno color haeserit ignis,
1140 flamma rubet madida referens a matre virorem,
1141 forsitan et, cum nube cava se ostentat imago,
1142 caeruleum videas, qui non est ipse, colorem.
1143 Ac memini, dum castra sequor Mavortiaque arma,
1144 qua praeceps sese Tiburna rupe volutus
1145 fert Anio multaque cadens aspergine sudat,
1146 fumosa fulgere super conspergine claram
1147 irin et aurato jacentem spicula cornu.
1148 Et jam sol medium clarus peragrabat Olympum ;
1149 mox, ubi sidereis nox fusca supervenit alis,
1150 improvisi adsunt Austris madidantibus imbres,
1151 liquitur in latices caelum, lutulentus et antro
1152 prosilit, ac ripis Anio caput extulit altis
1153 indignans, liquidos rapidis torrentibus amnes
1154 foedari et maestas arceri a fonte Napaeas.
1155 Nec flavescentem aspiciens miraberis arcum
1156 puniceo viridem si addas ; rarescit uterque
1157 nam simul, et flavum miscent utrimque colorem.
1158 Nec vero cum sol medium lustrabit olympum
1159 (urit enim fervetque adeo, ut, quae densa, relaxet),
1160 Thaumantis natam aspicias, quanquam horrida, quando
1161 bruma riget, mediis liceat vidisse diebus.
1162 Ergo cum adveniet simul et cum deciderit sol,
1163 Iris ab adverso capiet data signa parente,
1164 luce quidem ; quamquam in tenebris, sub nocte maligna,

1165 aurea cum pleno radiat Latonia vultu,
1166 tum quoque curvato meditatatur spicula cornu.
1167 Et quoniam obliquum ad solem adversumque parentem
1168 apparet longe oppositis in partibus Iris,
1169 iccirco non in gyrum, non cogit in orbem
1170 sese audax, neque enim est ipsi circumdata soli,
1171 unde referre queat speciem toto ore rotundam.
1172 Saepe etiam duplicem in tenebris est cernere lunam,
1173 nube novam referente alia sub imagine formam.
1174 Ipsa sua speculum dextra tenet, et videt ora
1175 altera nympha sua, et quibus haec quoque lumina cernit,
1176 una quidem facies, speculo referente secundam.
1177 Ergo et in aerea talem se nube figura
1178 ingeminata refert, speculi se margine qualem
1179 nympha super, vitrea et similem se reddit in umbra.
1180 Sed neque cum solem aut ipsum, solisve sororem
1181 aut rutila circum, aut atra caligine cingi
1182 prospicies, alium credas duxisse colorem ;
1183 nam vapor in causa est, qui, cum fulgentibus astris
1184 offundit sese obtundens radiantia tela,
1185 inficit hic nostros infecto lumine sensus,
1186 frustraturque oculos falsa sub imagine captos
1187 luna magis, luna hamatis minus apta sagittis.
1188 Tu tamen, offusa quotiens caligine cernes
1189 paulatim elabi et claro mox lumine ferri,
1190 tranquillam licet exspectes noctemque diemque.
1191 Sin multis simul effundent se partibus ipsae
1192 collectae in gyrum nubes (nulla est mora) venti
1193 diversis simul erumpent de partibus, ut jam
1194 involvant caelumque simul terrasque fretumque,
1195 vix adeo ut stabulis sint tuta armenta sub ipsis.
1196 Semper enim, qua diffracto vapor evolat orbe,
1197 illa parte ruent populantes nubila venti.
1198 Quin etiam qua se incandens nocte extulit ignis,
1199 ille quidem claro signans liquidum aera tractu,
1200 inde ruet portis quamprimum ventus apertis.
1201 Ergo, et cum excussit rapidus sol omnia late,
1202 et cum victa gelu glacie et concreta malignum
1203 horrescit tellus frigus, tunc aequora longe
1204 pacem agitant, nulli versant super aera venti,
1205 ac tranquilla quies pacato regnat in orbe.
1206 Ast, ubi se nebulae tollunt, indensat et auras
1207 caligo fumosa agitans, hic aggere rupto
1208 spiritus ad superas sensim sese exserit oras,
1209 moxque ruit portis emissus ventus apertis.
1210 Ipsa etenim ventos tellus alit, eque refuso
1211 emittit fecunda sinu : sol hos pater actis
1212 educit radiis, perque aera trudit apertum.
1213 Illi iter intendunt cursu, passimque vagando
1214 concipiunt vires, collectaque robora firmant,
1215 donec vel caelo irati dominantur et undis,
1216 et quatiant validas inimicis flatibus arces.
1217 Haud aliter quam, cum liquidis caput extulit antris
1218 Eridanus, molem ingentem rapit undique aquarum
1219 progrediens, fervetque vagus per adorea culta,
1220 huc illuc sinuosa agitans secum agmina volvit,

1221 rumpit et in pontum superatis fluctibus audax.
1222 Ventorum quoque certa dabunt tibi signa cometae,
1223 illi etiam belli motus feraque arma minantur,
1224 magnorum et clades populorum et funera regum ;
1225 ut, cum seu caeli occasum, seu solis ad ortum
1226 extulerint caput infelix et crine minaci,
1227 (horrendum) late implerint terroribus urbes.
1228 Si steterint certoque loco vestigia figent,
1229 finitimi bello invadent, civiliaque arma
1230 foedabunt socias cognato sanguine dextras ;
1231 sin ortum tendent versus, peregrina moveri
1232 bella scias, hostemque externis affore ab oris.
1233 Tu vero, quod decernit Mavortius ignis
1234 infelix caeli sidus, quod nuntius Arcas,
1235 hoc dirum imprimis statues signare cometen.
1236 Ipsi etiam tibi signa dabunt manifesta colores.
1237 Halitus ille autem aestivam sublatus in oram,
1238 mole ingens, tractu longusque et plurimus ipso,
1239 multa etiam fomenta ferens, concepit ubi ignes,
1240 flammatos ignes et late incendia serpunt,
1241 fit coma quae rutilum spargat de vertice crinem
1242 et longo fumosa trahat vestigia passu ;
1243 sed solem solisque viam declinat, ad Arcton
1244 saepe iter intendens, celeri nunc concitus axe,
1245 nunc lento temone premens tardantia lora.
1246 Nam meministi, quondam Icaro de sidere lapsum
1247 squalentem praeferre comam, tardoque meatu
1248 flectere sub gelidum Boreae penetrabilis orbem ;
1249 hinc rursum praeferre caput cursuque secundo
1250 vertere in occasum ac laxis insistere habenis
1251 donec Agenorei sensit fera cornua Tauri.
1252 Ergo inter sese adversis concurrere signis
1253 hinc Turcas, illinc Parthorum examina vidit
1254 Euphrates belli medius ; caput extulit alveo
1255 armorum sonitu excitus Mavortius Ister.
1256 Vix nunquam majore alias in proelia ventum est
1257 mole virum ; lati manarunt sanguine campi,
1258 horruit oceanus, dum tot procul amne cruento
1259 versat Rhenus agens simul arma virosque ducesque ;
1260 cognatos enses atque impia comminus arma
1261 sustulit assuetis gaudens Hispania bellis,
1262 obstupuit gemuitque simul Maurisia Calpe
1263 ingentes velorum alas crepitantiaque arma
1264 oceano et freta lata citis spumantia remis,
1265 mox Tingitanis saevire incendia tectis,
1266 atque amnes tabo squalere et sanguine campos.
1267 Non alias venti pelago incubuere tumentis
1268 majores, non Aeolii rex carceris umquam
1269 saevius infremuit ruptoque immugit antro.
1270 Delituit ripis imo et caput abdidit alveo
1271 undarum pater Eridanus, sitientibus amnes
1272 excessere antris ; maestae et sine numine nymphae
1273 fuderunt nullus terra arescente liquores.
1274 Interea nullus caelo demittitur imber,
1275 arescunt herbae passim sitientibus arvis,
1276 pratorum perit omnis honos, nemora alta laborant

1277 aestibus, invitoque cadunt e stipite frondes,
1278 in dirum transit cinerem de gramine cespes ;
1279 vota Jovem non ulla movent ingrata, nec ullum
1280 incensis aris meritum sensusve malorum,
1281 languentes impune cadunt cum matribus haedi,
1282 exanimesque jacent passim cum matribus agni,
1283 infelix animam convulso in cespite linquit
1284 taurus et ingentem ipse cadens dat mole ruinam,
1285 nec bellator equus non sicco in margine fontis
1286 maeret et assuetis moriens caput abdit arenis ;
1287 strata dolent armenta boumque armentaque equorum.
1288 Exitio sitis est etiam pastoribus, ut jam
1289 emigret Calabris procul armentarius agris
1290 aeger, agens parvos aegra cum conjugate natos.
1291 Usque adeo infandam in rabiem fera saevit Erinnys,
1292 et dirus quatit in terras jacula aspra cometes.
1293 Nate, etiam si quando oculos ad sidera tollens
1294 albentem caeli tractum mirabere, forsitan
1295 addubites quae causa viam signaverit, an sit
1296 halitus idem auctor, longo quem tramite ductum
1297 stellarum densus circum se complicat ordo ;
1298 quippe vagus solem fugiens torrentiaque astra
1299 in laevum dextrumque latus declinat, et ipsa
1300 raptatus circum caeli vertigine candet,
1301 sideribus late sparsus, pallentiaque ora
1302 stellarum atque amnes lactis sub imagine praefert.
1303 Namque acies obtusa, et non penetrabile lumen,
1304 et series numerosa, minutaque corpora parvis
1305 in spatiis versata procul candere videntur,
1306 dum nequeunt radios jaculari et stringere flammam,
1307 candet et a multa caligine consitus aer,
1308 hinc illinc agitata et lactea constat imago.
1309 Nec tibi non fera sunt saevorum nota Gigantum
1310 proelia, non Phlegraea phalanx Superumque labores
1311 intentansque deum excidium Briareus ensis.
1312 Ergo illi simul ingentes involvere montes
1313 a Boreaue Austroque, ingens simul ardor utrimque,
1314 utrimque et metus ingens exitiumque paratum.
1315 Terra novum auxilium natis tulit : excitat antris
1316 nigrantisque globos fumorum et sidera foedat
1317 pulveribus, tetra offendens caligine divum
1318 attonitas acies atque arma micantia frustra.
1319 Cedebat rerum genitor, cedebat et ipse
1320 bellipotens Mavors, frustra Latonia tendit
1321 Dictaeos arcus ; nigrantem ex axe Booten
1322 excussat caligo, haurit globus Oriona
1323 pulvereus caecum capulo dum sustulit ensem.
1324 Ecce autem flammis et luce coruscus Eoa
1325 Phoebus adest ; Phoebum sensit nox. Illicet ipse
1326 restituitque aciem, et dextra laevaue coegit
1327 cedere fumificum discusso pulvere nimbum.
1328 Ergo ubi laurigeris victoria constitit alis
1329 et caelo pax nota redit, monumenta quod essent
1330 antiquae pugnae, volucres subsidere fumos
1331 et statuit pater et solio sic jussit ab alto.
1332 Atque hinc pulvereus manet inter sidera limes,

1333 qua victor pepulit flammato turbine Phoebus.
1334 Nec vero naturae omnis vis cognita, quando
1335 multa latent ; tamen et causas scitamus, et unde
1336 proveniant. Candorque viae limesque per astra
1337 fusus in incerto est ; nebulas in sidere Cancri
1338 anne eadem caligo, eadem quoque causa notarit,
1339 hoc quoque in incerto est ; nam plura subesse videntur,
1340 quae certent ratione eadem, aut adversa repugnent,
1341 lactea cur niveo canescat semita tractu,
1342 cur nebulosa cavo pallescunt sidera vultu.
1343 Hinc ego digrediens fontes te, nate, docebo,
1344 et cur perpetuis decurrant flumina venis ;
1345 extremus labor et vigilatae ad lumina noctes :
1346 tu mea dicta, puer, memori nunc accipe corde.
1347 Spiritus hic (Graii fecerunt aera nomen),
1348 qui terras pontumque levi circumtegit umbra
1349 et penetrat rimosa means in viscera terrae,
1350 (certa fides) facile humentem permanat in undam
1351 in liquidumque coit contracto frigore rorem ;
1352 mox abit in latices et ripis plenior errat,
1353 et magno labens intrat cum murmure pontum,
1354 armatas etiam raptans ad litora classes.
1355 Ipse vides saepe in foribus sudantia saxa,
1356 et guttas de marmoreis stillare columnis
1357 (namque aer circumfusus dum frigora sentit
1358 paulatim sese cogit, mox defluit humor
1359 ille quidem sicco ducens e marmore guttas) ;
1360 speluncis quoque de gelidis manare liquorem
1361 continuum, unde fluunt crepitanti murmure rivi.
1362 Si Rhenum Rhodanumque videns magnumque Garumnam,
1363 aut Hebrum Eridanumve, aut clari nominis Istrum,
1364 aut qui per latos populos mare pervenit Indus,
1365 aut septengemini rumpunt qua flumina Nili,
1366 perscrutere ortum et fontis sacra antra reclusi,
1367 (non dubium) invenies summis e montibus illos
1368 delabi, genus et gelidis deducere ab antris.
1369 Namque aer terrae immistus molemque sub ipsam
1370 inclusus, montana rigens ut frigora sensit,
1371 in stillas abit et longo fluit agmine multus,
1372 desuper ima petens, donec jam viribus auctis
1373 erumpit vallo atque in campos turgidus exit.
1374 Multum etiam stillante solo nivibusque liquatis
1375 auxilium accedit venis tellure sub ipsa,
1376 multum etiam nebulosa jugis immanibus aura,
1377 tabescens caelo gelido cum stringitur humor,
1378 unde sibi occulti sumunt alimenta meatus.
1379 Nec vero, quamvis solido stet robore tellus
1380 mole sua gravis et denso se robore firmet,
1381 non vastis intus specubus patet atque hiat alte
1382 immensum ductis abrupta sede cavernis ;
1383 e quibus aut Euri sparsim funduntur anhelis
1384 faucibus Hadriacosque attollunt flatibus aestus
1385 et stragem dant arboribus tectisque ruinam,
1386 aut amnes subter lapsi de montibus altis
1387 erumpunt cursu rapido et solida aequora findunt.
1388 Quippe aer antro inclusus lentescit in undam

1389 frigida sub loca, et aeternum fluit abditus humor
1390 aeterno de fonte liquens. Hinc Caspia claustris
1391 antra tot accipiunt fontes, tot flumina, mox quae
1392 rursum diversis emergunt partibus orbis,
1393 in mare seu tacitis delapsa meatibus intrant ;
1394 quin et qua Herculei rident sata lata Tarenti,
1395 qui piger humectat flaventia culta Galesus
1396 saxa subit tacitusque cavo se condit in antro ;
1397 condit et in latebris Nilus, post liber apertis
1398 insultat campis septeno et gurgite fertur,
1399 felix fruge nova fecundisque uber aristis.
1400 Est Praecutinis in montibus horrida cautes,
1401 (indigenae vocitant Cornu) de vertice cujus
1402 manat aquae gelidus per saxa rigentia torrens.
1403 Hunc non antra cavi montis, non humida vallis
1404 eruptat, non vis superas impellit ad oras ;
1405 verum aer ripae admotus circumque supraque
1406 rimosoque latens sub fomite sudat, ut ipsum
1407 frigus et algentem sensit per membra rigorem,
1408 stillatimque cadit fluitans cursumque secundat.
1409 Ergo et perpetuus tenor est stillantibus undis,
1410 perpetuique fluunt fontes et flumina et amnes,
1411 perpetuum quoniam servat natura tenorem
1412 aeris, aeriam sese vertentis in undam.
1413 Nec vero faciles nymphae, quis flumina cordi
1414 et sacri fontes atque antra liquentia rivis,
1415 non ipsae dulcis latices, non larga ministrant
1416 pocula, non gratas longe sitientibus undas.
1417 Ergo nudatis pedibusque et pectore nudo
1418 caeruleae per stagna agitant liquentia nymphae,
1419 alternisque implent undantes roribus urnas,
1420 alternis simul effundunt : tum murmure magno
1421 it praeceps per saxa sonans spumantia rivus,
1422 mox crescens findit tacito plana aequora cursu.
1423 Nunc fessae laetas ducunt per prata choreas
1424 arboribus tectae ac circumvariantibus umbris,
1425 nunc tenues mulcent gratis concentibus auras,
1426 aut amne in medio ludunt, vitreisque sub undis
1427 lascivae alternant agiles per brachia motus,
1428 lubricaque intorquent niveis vestigia plantis.
1429 Enatat haec levesque manus et brachia monstrat,
1430 aut tenerum latus, aut molles cum poplite suras ;
1431 desilit illa petens imum, splendetque sub undis
1432 marmoreum femur et cervix argentea et illae
1433 deducunt caelo divos quae ad furta papillae ;
1434 mox resilit flavumque caput nigrantiaque effert
1435 lumina, tum niveo quae purpura fulget in ore.
1436 Hic aliquis cannosa latens post flumina pastor,
1437 agrestis deus et Satyrorum e stirpe procaci,
1438 concepit postquam ardentem sub pectore flammam,
1439 huc illuc oculos agit et suspiria ducit,
1440 insertatque caput cannis, refugitque videri,
1441 dumque videt, frigetque simul fervetque, cupitque,
1442 desperatque, audetque, feroxque libidine in undas
1443 desilit, atque cadens sonitum dedit. At chorus antrum
1444 attonitus petit et latebris sese abdit opertis :

1445 ipse deus vano frustratur gaudia tactu.
1446 Nec sapor, aut color ullus aquis fluvialibus. Ipsae
1447 tellure hos de matre trahunt ; hinc saepe venenum,
1448 saepe salus : adeo variat tellusque solumque.
1449 Terra salutiferas vires, eadem ipsa nocentes
1450 praebet aquis, succoque suo prodestque nocetque.
1451 Terra eadem argento large fecunda, sed aer
1452 uber aquis, Nereiue novas hinc sufficit undas,
1453 praecipue tamen arctoo sub cardine, qua se
1454 vis ingens cohibet, quaque et sol languidus errat
1455 defessus spatiis obliquo et tractus ab orbe.
1456 Inde perennis aquae manat fluor, oceanusque
1457 aestuat, arctooque fluunt e cardine rivi.
1458 Baiano sed ne fumare in litore thermas
1459 mirere, aut liquidis fluitare incendia venis ;
1460 Vulcani fora sulfureis incensa caminis
1461 ipsa monent, late multum tellure sub ima
1462 debacchari ignem camposque exurere opertos.
1463 Inde fluit calidum referens ex igne vaporem
1464 unda fugax, tectis fervent et balnea flammis.
1465 Hinc etiam salsum fontes traxere saporem,
1466 et laticem longe ingratus infecit amaror
1467 tellure incocta exsudans cinerique maligno,
1468 quem liquit quondam accensis fornacibus ignis,
1469 post aevo exstinctus longo monumenta relinquit
1470 exustum cinerem et cocto sola subdita saxo.
1471 Hinc alibi exhaustos antris putealibus amnes
1472 Vulcano fervente coquunt, dum crassior humor
1473 stringitur, inque salem tepidae cessere lacunae,
1474 ast alibi in lapidem transit liquor ; usque adeo vis
1475 telluris variat. Videas lapidescere Sarni
1476 caeruleo sub fonte alnum filicisque maniplos
1477 et paleae intortos lento cum vimine culmos.
1478 Decurrit tenui labens aspergine rivus
1479 rupe venafrana, fessus quem saepe viator
1480 incusat gelidos raptim occuluisse liquores ;
1481 saepe repentinos fracto de monte tumultus
1482 erumpentis aquae timuit sub vomere taurus.
1483 Ipsa sua nunc dives opes natura profundit,
1484 nunc retrahit defessa manum seque ipsa remittit ;
1485 hic lactis fluitare amnem sua ad ubera mater
1486 laetatur, dolet hic omnem obriguisset liquorem.
1487 Materiam saepe ingenio instrumenta vel arti
1488 deficere, ipse operis prudens dolet auctor et actor.
1489 Nunc ergo ingentisque animos viresque valentis
1490 prae se fert natura opibusque et robore pollens,
1491 nunc inculta situ longaque effeta senecta
1492 languescit propriumque negat retinere vigorem ;
1493 dum reparat vires renovataque robora firmat,
1494 ipsa suos tunc plena sinus uterumque relaxat,
1495 quique vigor fuit ante, refert se ad munera nota.
1496 Nec vero casusque inopes cessantiaque arma
1497 Naturae, nec rursus opes luxumque fluentem
1498 non hominum, non alituum genus et pecus et grex
1499 squamigerum sensere, grave et doluere ruina ;
1500 hinc etenim miseranda lues mortalibus, hinc et

1501 dira fames saevitque malum per vulnus utrumque.
1502 Ammonem fama est mediis sub noctibus altum
1503 fervere et in mediis rursum frigere diebus ;
1504 causa quidem vel certa subest, nam frigora noctis
1505 intus alunt ignes nocte et vapor aestuat intus,
1506 unde fluunt calidi noctis per tempora rivi ;
1507 Luce autem, cum sol terras populatur et ardens
1508 exhalat vis, tum venae recreantur hiantes,
1509 unde redit gelidus sua per vestigia torrens.
1510 Rara igitur natura soli, quae frigora lunae,
1511 quae solem facile admittit resoluta diurnum ;
1512 hinc facile et recreat sese et fervescit in horas.
1513 Hinc terrae varium mutat fons ipse tenorem
1514 longinquo veniens loca per variantia ductu ;
1515 nam neque sese orbe ex alio vis torrida solis
1516 immittens penetretque uterum et gravida ubera terrae,
1517 immensumque maris spatium, tantumque profundum.
1518 Horrescit quoque Lucanis in saltibus antrum,
1519 unde petunt trepidi afflictis oracula rebus,
1520 praecipitat longo immanis descensus hiatu ;
1521 septem arae circum et fumos flant thura Sabaeos ;
1522 antistes Zeno lituum tenet, et vocat ore
1523 praesentemque deum, et pia numina sistit ad aram ;
1524 turba favet, mox et voti damnata recedit.
1525 Ipse autem fruiturque diis atque imperat antro,
1526 unde fluit gelidus salebroso fonte Trigella,
1527 arescitque hieme in media atque aestate liquescit.
1528 Vere novo, cum se tellus adaperta relaxat,
1529 tum videas tecto ex antri stillare fluentum,
1530 Hic rivos fluitare, illic concrecere fontem
1531 in clatros ; hiat ecce alibi fumosa vorago,
1532 unde aditus imi ad manes et Tartara mundi ;
1533 parte alia sonat abruptis specus atra cavernis,
1534 (horrendum) ruit acta repente canalibus unda
1535 occultis siccoque diu devolvitur alveo.
1536 Pastores, cohibete gregem sitientem et ab unda
1537 pellite ; non fetum optatum, non ubera vaccae
1538 distenta aut tenerum cum matre aspexerit agnum
1539 errantem, qui pota frequens ad flumina pastum
1540 egerit armentum et crudo saturaverit amni :
1541 capripedis potuit tantum dolor iraque Fauni.
1542 Luserat aspernata procum Ripenia et udis
1543 abdita fluminibus detestabatur. Ibi amens
1544 deturbatque pedum pecudesque a fonte repellit
1545 inclamans : "Nulli fetus, non ulla propago
1546 sit pecudi, quotiens sitentia guttura ad undam
1547 admorit, potoque gravis de flumine abibit :
1548 Semiamnem fugitate boves, fugitate capellae."
1549 Iratusque gregi in nemus et loca sola recedit.
1550 At cum declinat rapidus sol et fugit annus,
1551 ac lassata situ tellusque effeta senescit,
1552 aruit et venis humor, mirabere fontem
1553 vel biduo effluxisse, ac flumina tanta requirens
1554 incusesque deos naturaeque abdita damnes.
1555 Sed nec perpetuae sedes sunt fontibus ullae,
1556 aeterni aut manant cursus. Mutantur in aevum

1557 singula et inceptum alternat natura tenorem,
1558 quodque dies antiqua tulit, post auferet ipsa.
1559 Hoc mare, quod nunc ingenti duo litora tractu
1560 Europam Libyamque secat (non fabula), quondam
1561 tellus una fuit ; medio stetit aequore taurus
1562 insudans sulco atque attrito vomere fessus,
1563 nunc mersa tellure natat vento acta carina.
1564 Vulcano sacra et fumoso vertice anhelans
1565 insula, Cyclopum horrisonis incudibus antrum,
1566 nulla olim ; nunc nulla Elice Nonacria, ut illam
1567 fluctibus iratoque absorbit aequore Nereus.
1568 Aegyptum Casii solvens de rupe secabat
1569 nauta vagus, nondum ullum illi nomenque decusve,
1570 sed pelago stagnante palus udaeque lacunae ;
1571 nunc regio et populos late fecundat et urbes,
1572 Pyramidum ostentans monumenta et nomina regum.
1573 Quid mirum fontes siccato et flumina cursu
1574 desinere ? Adveniet lustris properantibus aetas,
1575 cum pelago emerget tellus nova, cum mare terris
1576 incumbens mole ingenti simul oppida et arces
1577 cultaque sub rapido secum feret hausta profundo.
1578 Nullus honos regum tumulis, impune deorum
1579 templa ruent, idem fluctus pecudemque Jovemque
1580 auratum affliget scopulo, exitium omnibus unum,
1581 et clades una absumet juvenesque senesque,
1582 matres atque viros et corpora cara nepotum,
1583 nec natum complexa parens miserabilis udis
1584 proficiet lacrimis, clamantem et acerba gementem
1585 caeruleus cano vortex absorbet hiatu,
1586 et vota et pictos secum feret unda penates.
1587 Non ullae ultra reliquiae aut monumenta manebunt,
1588 non rerum labor, aut operum vis edita caelo ;
1589 majestas ipsa ingeniis, decora illa sororum
1590 Aonidum, confecta situ atque in nube jacebunt,
1591 cunctaque sub tenebris et opaca nocte tegentur.
1592 Parte alia exsurgent immani corpore montes,
1593 et nigra primo caelum caligine tingent
1594 fumosis juga verticibus, nondum aere aperto,
1595 nec sicca tellure satis. Post tempore certo
1596 terra recens, caelumque novum, nova litora, et udi
1597 labentes passim lymphis crepitantibus amnes
1598 incipient praebere novis alimenta colonis,
1599 paulatimque novus fato instaurabitur orbis.
1600 Te quoque vel juvet ad finem venisse laborum,
1601 Uranie, licet et fontis leve murmur et ipsae
1602 spirarint placidae Zephyris felicibus aerae.
1603 Rura senem, vatemque suum sua ad otia felix
1604 Parthenope vocat et fesso blanditur alumno.
1605 Non hederæ mea non lauri per tempora serpent ;
1606 me sat erit, si caeruleo Sebethus ab amne
1607 intactae salicis fluviali munere donet,
1608 ac mihi pomiferis vacet Antiniana sub hortis.